

*NvK an Michael von Natz: Da das Kapitel eine Gesandtschaft zu NvK schicken wolle, ruft er ihm und den anderen Brixner Domherren eindringlich ins Gedächtnis, welche Gefahren die Nichtbeachtung der vom Papst verbürgten Strafen für ihr Seelenheil mit sich bringe. Man könne auch nicht auf eine Dispens hoffen. Das Urteil gegen Lorenz Blumenau sei heute ergangen, seine Verurteilung als Häretiker stehe bevor.*

*Kopie (gleichzeitig): BERNKASTEL-KUES, StiB, Cod. Cus. 221 p. 142. Über dem Text: Magistro Michaeli de Necz, canonico Brixinensi, missa per Seckendorff, canonicum Eistetensem die 3<sup>a</sup> septembris.  
Erw.: Scharppf, Cardinal und Bischof I 343; Jäger, Streit II 108, 121.*

Honorabilis d. Vidi, que scripsistis de mittenda ad me legacione. Et ideo, ut possitis bene deliberare, an expeditat ad me mittere vel non, atque eciam ut sitis bene informati de mente s. d. n. et apostolice sedis, mitto vobis copias veras trium bullarum, quarum originalia sunt apud dominum re<sup>mum</sup> Salzburgensem<sup>1)</sup>, ut illas in capitulo legatis et bene deliberetis super legacione, quid committere debeatis mittendis, atque eciam ut non pretendatis ignoranciam, sed faciatis, ut debent facere viri boni et obedientes et qui nequaque temporalia preferunt eternis.

Doctor Laurencius hodie per sentenciam declaratus est incidisse in penam arresti, scilicet excommunicacionis, perpetue infamie et centum markarum argenti.<sup>2)</sup> Proceditur contra eum in materia fidei, et creditur, quod sentenciabitur contra eum, quod sit hereticus male senciens in fide quo ad claves ecclesie in eo, quod tenet et tenuit appellationem latae censuras suspendere. Si mansisset et se defensisset, uti promisit, melius fecisset. Fuga fecit ipsum magis suspectum. Timuit inscalari<sup>3)</sup>, sed si condempnabitur, non poterit diu aufugere, quin de eo fiet iusticia.

Jam venit tempus, quod iusti probabuntur. Vos scitis, et eciam d. Gulser<sup>4)</sup>, quid sepe dixistis. Nichil amplius restat faciendum, que consilio vestro fieri debuerunt. Non est locus fuge. Temporalia ecclesie et si violenter perdentur, poterunt, si sic deo utile visum fuerit, recuperari. Sed *(si) anima(m) et honore(m) perditis, non erit possibile recuperare.* Scitis, quod textus „Felicitas“ dicit: „sine spe dispensacionis“ etc.<sup>5)</sup> Numquam cum prophanis dispensabitur, licet eis dictum sit, quod Sigismundus sine ipsis non capiet concordiam. Nec credatis, quod si eciam omnia vellet restituere ecclesie, que abstulit, quod modo illud fieret, quod ante sentenciam factum fuisset. Dicitur ipsi, et sui non curant. Dicit papa eo peius pro eis. Michi dicitur, quod omnes abierunt, eciam constantissimi. Doleo usque modo non reperitur apostolicas sentencias ita ponderose et iuste latae non habuisse effectum. Et ut hoc habeat effectum, papa non dormit. Bene videtis in bulla advocationis administracionis papam omnem animarum curam revocasse.<sup>6)</sup> Eciam hoc si non ponderabitur, non potest dici, quod fides catholica ibidem existat. Oro deum, ut omnes illuminentur et iusticia prevaleat. Ex Senis prima septembris 1460.

<sup>1)</sup> S.a. Nr. 6293f. und 6297 (1460 August 15/17).

<sup>2)</sup> Zum Prozess gegen Lorenz Blumenau s.o. Nr. 6279f., 6289f.

<sup>3)</sup> S.a. Nr. 6307 Anm. 4.

<sup>4)</sup> Georg Golser, Brixner Domherr, später Nachfolger des NvK. Er war bereits Ende Juni 1460 als Gesandter zu NvK vorgesehen gewesen, dann aber nicht aufgebrochen. S.o. Nr. 6256.

<sup>5)</sup> S. VI 5,9,5 (*Felicitis*), ed. Friedberg II 109f.

<sup>6)</sup> S.o. Nr. 6293.